

Salis ammoniaci p. libram unam,
Asæ foetidæ p. uncias quatuor,
Spiritus vinosi tenuioris m. libras sex.

D I S T I L L A T I O N E eliciatur leni calore men-
sura librarum quinque.

S P I R I T U S V O L A T I L I S
aromaticus.

R. Essentiæ limonum,
Olei nucis moschatæ essentialis, singulorum
p. drachmas duas,
Olei caryophyllorum aromaticorum essentia-
lis p. drachmam dimidiā,
Spiritus salis ammoniaci dulcis m. libras duas.

D I S T I L L A igne lenissimo.

R E S I N O S A ,
E T
S U L P H U R E A .

F L O R E S B E N Z O I N I .

B E N Z O I N U M in pulverem tritum ollæ figu-
linæ in arena locatæ immittatur, & leni calore
flores sublimentur in conum chartaceum ollæ
adaptatum.

V E L benzoinum retortæ immittatur, & leni
igne flores in retortæ collum ascendent.

F L O R E S flavedine inquinati terra Cimolia
alba mixti denuo sublimentur.

FLO-

FLORES SULPHURIS.

SUBLIMETUR sulphur ex vase idoneo, & flores, qui concrecant, reducantur in pulverem mola lignea, vel ligneo pistillo in mortario marmoreo.

FLORES SULPHURIS

loti.

FLORIBUS sulphuris affundatur aqua ad altitudinem quatuor digitorum supra flores, & coquantur aliquamdiu; deinde hanc aquam effunde, &, frigida affusa, penitus ablue; denique flores siccentur ad usum.

BALSAMUM SULPHURIS

simplex.

FLORES sulphuris cum quadruplo olei olivarum pondere coquantur in olla leviter tecta, donec coeant in balsami crassitudinem.

EODEM modo cum petroleo Barbadensi fit balsamum sulphuris Barbadense.

SULPHUR PRÆCIPITATUM.

FLORES sulphuris cum triplo calcis vive pondere coquantur in aqua ad solutionem sulphuris, & liquor per chartam coletur; deinde, spiritu vitrioli tenui addito, præcipitabitur pulvis, qui sepius affusa aqua lavandus est, donec omnino insipidus fiat.

AQUA SULPHURATA.

R. Aquæ m. libras duas,
Sulphuris p. libram dimidiām.

SUL-

SULPHURIS portio aliqua in cochleari ferre incensa suspendatur super aquam in vase clauso; & fumo residente, idem toties repetatur, donec totum sulphur sit consumptum.

METALLICA.

CHALYBIS RUBIGO præparata.

LIMATURA chalybis aëri exposita humectetur saepius aceto, vel aqua, donec in rubiginem convertatur; deinde tere in mortario, & affusa aqua pulverem subtilissimum ablue: residuum vero, quod modico tritu in pulverem facile abluendum non redigitur, humectatum aëri diutius expone; & denuo in mortario tritum ablue, ut prius pulvis ablutus siccandus est, & asservandus.

CHALYBS SULPHURE præparatus.

CHALYBS igne acerrimo excandefactus bacillo sulphuris admoveatur, ut liquefaciat, & guttatim in aquam suppositam decidat; deinde separetur a sulphure simul in aquam desfluente, & in pulverem subtilissimum redigatur.

FLORES MARTIALES.

R. Colcotharis vitrioli viridis loti, vel limatura ferri p. libram unam,
Salis ammoniaci p. libras duas.

Mix-